



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

1 An vinum vitis sit necessaria materia Eucharistiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

DISPUTATIO XLV.

De materia calicis, seu remota, ex qua conficitur sanguis Christi.

Vinum esse alteram partem materiae, ex qua hoc sacramentum confici debet, in superioribus ostensum est, nunc solum superest, ut de qualitate, seu specie eius, & de puritate seu missione necessaria dicamus. Quoniam vero necessitas praecipua, quae ad hunc usum materiae pertinet, valde est coniuncta cum necessitate sacramenti, ideo de utraque dicemus: sicut in praecedentibus fecimus.

SECTIO I.

Utrum vinum vitis, seu ex viuis expressum, sit necessaria materia huius sacramenti.

Omnia erroribus, quos in superioribus satis tetigimus, primum omnium certum est, materiam huius sacramenti, sine qua sanguis confici non potest, esse vinum vitis. In hac conclusione nulla est controversia, & colligitur ex facto Christi, adiuncta Ecclesiae traditione. Quod enim Christus in hoc vino consecraverit, communis sensus & traditio est, & indicatur in illo verbo, Non bibam amodò ex hoc genere vitis, quamvis enim diuersas habeat expositiones, tamen ex illo satis colligitur, vinum illius cenae fuisse vitis, addidit autem Christus, hoc facite. Vnde in Conc. Aurelian. IV. cap. 4. dicitur non esse in calice offerendum aliud, quam quod in mandatis sacratissimis Christus tradidit, quod explicatis, dicit esse illud quod ex fructu vineae nascitur. Vnde in Conc. Flor. expresse definitur, materiam esse vinum vitis, & in Canone 3. Apollolorum, prohibetur offerri ficera, vel aliquid huiusmodi loco vini, & in Concilio Altihsod. capit. 9. non multum, neque vllum aliud poculum, extra vinum. Et ratio reddi potest, quia solum hoc est simpliciter vinum, ut patet ex communi vili omnium, praesertim scripturæ, Gen. c. 9. Noe bibit vinum, & c. Luce septimo, Venit filius hominis, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini. Ponderat enim Cyprianus episcopus, sexagesima tertia, specialiter ea loca, in quibus adumbratur hoc sacramentum, ut de oblatione panis & vini Melchisedech; Genesis 14. vbi nomine vini, sine dubio, intelligitur vinum vitis. Vltimo sunt congruentia. Prima quia hoc vinum, eo quod sit calidum & humidum & aptum ad nutriendum, & augendum sanguinem, est etiam aptum ad significandum sanguinem Christi, qui propterea nomine vini interdum significatur in Scriptura, Genesis 49. Lauabit in vino stolam suam & in sanguine vuae pallium suum, & Esaiæ 63. Quare ergo rubrum est vestimentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Secunda, quia ut inquit Alexand. 2. Pædagog. cap. hoc vinum est simul nutrimentum, & medicamentum, & lætificat cor hominis, & ideo aptissimum est ad effectum huius sacramenti significandum.

Dices: hoc vinum potest esse multiplex, & specie diuersum, ut significat Aristot. 4. Meteor. c. 10. & patet in vino albo & nigro. Respondetur, Aristotelem exponi posse de diuersitate accidentali, ut volunt Richard. dist. 11. ar. 3. quaest. 5. ad 1. & Soto, dist. 9. qu. 1. articulo 5. & est verisimile, quia sola illa differentia coloris non satis indicat substantialem diuersitatem: cum alias sit maxima in effectibus, aliis proprietatibus similitudo, ut inter homines etiam videre licet. Secundo, etiam si sit substantialis & essentialis diuersitas, ad rem Theologicam non refert, satis est, si absolute & simpliciter vinum sit, secus vero est de aliis vitiis pomorum, malorum granatorum, & similibus,

quae non solum specie differunt à vino vitis, sed quodammodo etiam genere, & non sunt vina simpliciter, sed secundum quid, & idem iudicium est de omnibus aliis liquoribus, qui ex herbis aut aliis fructibus conficiuntur.

Secundo dicendum est, ut succus, seu liquor vuarum sit sufficiens materia, necessarium esse, ut sit maturus, & ex viuis expressus, atque in sua substantia permanens. Ratio est, quia haec sunt necessaria, ut illud sit vinum simpliciter.

Vnde sit primo, agrestiam non esse materiam, ut D. Thom. & omnes docent, & habetur in missali Romano, in defectibus missae, & ratio est, quia non est vinum, imò euidenter differt ab eo specie physica, quantum ex effectibus & qualitatibus licet colligere; quidquid vero de hoc sit, satis est, non esse materiam potabilem, per modum vini, sicut supra proportionaliter de missa dicebamus.

Vnde sit secundo, succum vuarum prius, quam exprimitur, non esse materiam, nec posse in ipis viuis consecrari: ita Caiet. & Soto, qui hoc modo exponit D. Thomam, & idem tenet Richardus dist. 11. artic. 2. qu. 4. & 3. ratio esse potest, quia ille succus, quamdiu est in vua, est continuus aliis partibus, vnde videtur specie differre à multo iam expresso. Sed hoc satis incertum est, tum, quia, quidquid sit de continuatione, tamen sicut sanguis est in venis, ita idem ille liquor, qui postea est extra vnam, videtur prius formaliter contineri intra illam, cuius signum est, quia licet non exprimitur, nec comprimatur vua, sed tantum pungatur seu diuidatur folliculus vuae, statim distillat illum liquorem, qui iam tunc erit sufficiens materia consecrationis. Alia ergo ratio reddi potest, quia quamdiu liquor est contentus in vua, non est per se praesens: vnde si dicatur, hoc est, vel hic est sanguis, in rigore per pronomen illud, non significabitur liquor, sed vua, sed haec etiam est difficilis ratio, quia si nullum includatur in vase vndique clauso, nihilominus est materia consecrabilis, & mediante continente est sufficienter praesens, & potest per pronomen (hoc) designari. Responderi tamen posset, illud iam esse per se sensibile: & per accidens esse occultum, & similiter iam esse totum separatum, quod propriissime signari potest per modum totius, licet in alio continetur. At vero liquor clausus in vua semper est per modum partis & per se latens, & quasi insensibilis. Tertia ratio est, quia ille liquor pro illo statu non est in forma potabili, & ideo nec est vinum, nec materia potus, quod est necessarium in materia calicis, seu sanguinis, iuxta illud, Bibite ex hoc omnes. Et confirmatur, quia licet misto aquae non sit de necessitate huius sacramenti, tamen de necessitate materiae calicis est ut sit apta ad hanc missionem, seu ut illi possit aqua misceri: at vero liquor inclusus in vuis non est huiusmodi. Quae ratio traditur in cap. Cum omne, de Consecratione, distinct. 2. ex Iulio Papa & Concl. Brachar. & Vormacien. vbi talis consecratio prohibetur, sicut prohibita fuerat in sexta Synodo, Canone 28. Trullano, & habetur in capite. Didicimus, eadem distinctione. Non desunt tamen, qui ex praedicta ratione vltima, & ex dictis iuribus colligant, hanc materiam esse quidem prohibitam, non tamen omnino inualidam. Haec vero sententia nullo modo est probanda, quia reuera ille humor in vuis non est materia potabilis, sed pars cibi cuiusdam, & licet praedicta iura expresse non dicant, hanc materiam esse inualidam, id tamen supponunt, & ideo reprehendunt nonnullos, qui illa vti volebant ad communicandum populum. Imò in dicto Canone Trullano, non solum vera consecratio in vuis facta, sed etiam ceremonialis quaedam benedictio vuarum fieri prohibetur, aut distribui simul cum Corpore Domini, quamuis permittatur, ut vuarum primitiae in gratiarum actione offerantur, & separatim benedicantur, & conuenienti tempore distribuuntur.

Succo vuarum ut sit materia Eucharistica esse debet maturus. Corollaria. Succo vuarum non potest intra vvas consecrari. Caietanus. Soto. Richardus.

Con. Brachar. Vormacien. Synodus.



Mustum
expressum
ex vuis est
sufficiens
materia no
tamen con-
ueniens.

Tertio sequitur; mustum ex vuis maturis expres-
sum esse quidem in rigore sufficientem materiam,
non tamen convenientem, donec sit purum & satis
concoctum. Ita Dicitur Thomas hic & omnes, vnde
in capite. Cum omne crimen; de Consecratione, di-
stinctione secunda dicitur, si necesse fuerit, posse
botrum in calice exprimi, & aqua misceri & ita con-
fici. Ratio vero est, quia illud in substantia est vinum,
licet accidentaliter non omnino perfectum, nec pu-
rum, quia nondum separatus est aqueus humor, flos,
& fax, que per decoctionem vini secerni solent, vt la-
te Plinius libro 25. a principio. Vnde Aristoteles 4. Me-
teor. capite 10. mustum vocat vinum recens, & Hido-
rus libro 20. Ethymol. capite 3. dicit, esse vinum & lacu
statim sublaturum. Vnde in Scriptura sacra vinum so-
let appellari mustum Act. 2. musto pleni sunt ista. Isa.
49. Quasi musto sanguine suo inebriabuntur. Item ex
effectu constat, quia mustum est calidum, inebriat, &
ab intrinseca ac propria vi purificatur, & concoqui-
tur, seque ad perfectum statum reducit. Ergo signum
est substantialiter esse vinum, quo ad vsum vero re-
uera est materia potabilis, & interdum bibitur. Ergo
nihil illi deest, quod sit de substantia sacramenti, nam
illa permissio vel imperfectio, quam habet ante ple-
nam decoctionem, sufficit quidem, vt peccatum sit
in illo conficere, & quidem ex suo genere graue, tum
propter Ecclesie consuetudinem, tum propter inde-
centiam, & irreuerentiam: non tamen est simpliciter
contra substantiam sacramenti, quando quidem præ-
cipua substantia illius potus est vinum, sicut si perfe-
ctum vinum aliis rebus miscetur, seu conditur,
dummodo substantia vini maneat, sufficiens mate-
ria erit, quamuis in illo consecrare non liceat. Refe-
runt vero aliqui, in nonnullis Ecclesiis esse consue-
tudinem celebrandi aliquo die anni musto ex vuis in
calice expresso. Sed mihi de tali consuetudine non
constat: & si alibi esset, corrigenda esset & tollen-
da, existimo tamen nullibi esse, præsertim si intelli-
gatur solum illud mustum assumi pro materia, sed
fortasse per modum cæremoniæ in calice habente
perfectum vinum aliquæ vix exprimuntur, quod
minus habet indecentiæ, quamquam vitandum et-
iam sit.

Obiectio. Sed obicitur; quia mustum non videtur esse mate-
ria potabilis, vnde inter homines regulariter ad hunc
vsum non deseruit. Respondetur, frequentius non
bibitur propter nimiam fortitudinem & impuritatem,
per se tamen aptum esse ad potum.

Dubium. Hic vero dubitari potest de illo vino, quod dicitur
Lora, Hispanie aguapis, quia illud non exprimitur
ex vuis, sed postquam iam vix expressa illis mis-
ceatur alia quantitas aquæ, ex qua mixtione fit huius-
modi vinum, vnde non videtur habere substantiam
vini, sed aliquam eius similitudinem, vel qualitatē.

Plinius. Atque ideo Plinius libro 4. capite 10. dicit non appel-
lari iure vinum: & ita est reuera frequentius loquen-
do, hanc non esse materiam, non potest autem hoc
generaliter definiri, quia variis modis fit huiusmodi
Lora, vt ibidem Plinius refert, sed iudicandum de il-
la erit iuxta maiorem, vel minorem expressionem
vuarum, & quantitatem aquæ, ex quarum rerum
mixtione hic liquor fit, vt dixi, semper tamen erit gra-
ue sacrilegium in hac materia conficere, propter du-
bium & irreuerentiam.

Solutio. Quarto ex dictis concluditur, acetum non esse mate-
riam huius sacramenti, quia fit ex corruptione sub-
stantiali vini, vt ex effectibus colligi potest: & quia
non potest iterum in speciem vini redire: & ideo Ari-
stoteles 8. metaph. capite 5. tex. 14. acetum comparat
cadaveri, & hæc est sententia Sancti Thomæ & Scho-
lasticorum fere omnium, & habetur in Missali Ro-
mano. Contrarium tamen sentit glossa de consecra-
tione, distinctione 2. capite 2. & indicat Innocentius
libro quarto, capite 32. & fauet Hidorus, libro vigesi-
mo, Etymol. capite 3. vbi acetum numerat inter spe-

Accum
non est ma-
teria Eu-
charistia
Aristoteles
8. Thomas

cies vini. Sed si hæc sententia intelligatur proprie de
aceto, omnino est falsa, & improbabilis: si vero ex-
ponatur cum D. Thoma de vino acido seu aceto, quod
quod nondum formam substantialem amisit, illud
sufficiens esset materia. Quamuis graue peccatum in-
terdum possit esse in eo conficere, pro ratione dubij
vel irreuerentiæ, vt recte dicit Dicitur Thomas & A-
lenf. quæstione 32. memb. 8. Et per hæc iudicandum
est de sapa, quæ non est vinum reuera, cuius signum,
inquit Arist. 4. meteor. cap. 9. & 10. est, quia non in-
ebriat, vbi illam vocat vinum passum seu coctum. Ad-
de proprie non esse materiam potabilem, sed potius
per modum cibi comestibilem. Denique ex his iudi-
candum etiam est de quocunque alio vino corrupto
seu cocto; semper enim erit iniquum in humilimodi
materia consecrare. An vero sit nulla consecratio, ex
signis corruptionis iudicandum est. Et idem iudici-
um est de omni alio vino, de cuius corruptione du-
bitari possit, propter nimiam aquæ, vel alterius rei
mixtionem.

Solum dicendum superest de vino congelato, an
sufficiens materia sit. Aliqui enim negant, vt Armi-
la verbo, Euchar. numer. 19. Ledesma quæstione 15.
artic. 5. dub. 1. & Alanus libro primo de Euchar. capi-
te vndecimo, Quam sententiam nonnulli moderni
sequuntur; & duobus modis fundari potest. Primo,
quia per huiusmodi congelationem vinum substan-
tialiter corrumpitur, cuius signum est, quia perdit
calorem, saporem, & similes qualitates: & iuxta hoc
fundamentum dicendum consequenter est, si vinum
consecratum congelatur, definire ibi esse sanguinem
Christi, & si vinum congelatum postea liqueat, non
esse sufficientem materiam: quia cum corruptum
fuerit, non poterit per solam liquefactionem redire.
In quo certe non loquitur consequenter Alanus di-
cens: esse quidem sacrilegium in illo consecrare, quæ-
uis sit verum vinum. Alio modo potest defendi hæc
sententia dicendo, in vino congelato manere quidem
vini substantiam, & ideo si liqueat, esse sufficientem
materiam: tamen dum congelatum est, non esse ap-
tum consecrationi: quia non habet formam, & ra-
tionem potus, sicut gelu aquæ, licet substantialiter
aqua sit, non tamen potest esse materia Baptismi,
quia non est aptum ad leuandum. Quid vero iuxta
hoc fundamentum dicendum esset, de speciebus post
consecrationem congelatis, satis incertum est. Dif-
ficile enim est negare permanere ibi Christum: tum,
quia tamdiu manet Christus sub speciebus, quam-
pui posset conseruari substantia panis, & vini: tum
etiam, quia, si postea liqueat, ibi aderit Christus. In
contrarium vero est, quia si sub illis speciebus potest
CHRISTVS manere, cur non poterit etiam conse-
crari?

Secunda sententia affirmat, esse materiam: tenet Syluest.
Eucharistia. 2. quæst. 10. Angel. verbo, Missa, artic.
num. 13. Soto dist. d. 9. quæst. 1. art. 5. Et hæc sententia
mihi magis probatur: vt vero illam explicem, aduer-
to, aliud esse loqui de vino iam consecrato, & postea
congelato: vel de vino congelato ante consecratio-
nem; & rursus illud considerari potest, vel in illo sta-
tu, vel si iterum liqueat.

Primo ergo fere certum existimo, vinum conse-
cratum, etiam si congeletur, retinere consecrationem
& sanguinem Christi. Hoc videtur supponi in Mis-
sali Romano, in defectibus missæ: vbi dicitur, si con-
tingat in calice vinum consecratum congelari, de-
bere liqueferi, & consumi tanquam verum sacra-
mentum. Ratio vero est: quia reuera non est substanti-
aliter corruptum, cuius signum est, quia si postea li-
queat, habet qualitates & effectus vini: est ergo vi-
num. Si autem fuisset corruptum, non posset per so-
lam liquefactionem, ad vini naturam redire. Et con-
firmatur à simili, nam oleum, quod non videtur ef-
se minus calidum, quam vinum, non corrumpitur
per solam congelationem, vt eodem argumento conuin-

continui videtur. Denique nullum est maius argu-
mentum, quo ostendatur, aquam non corrumpi con-
gelatione. Adde, vinum, quamvis virtute sit calidius,
tam formaliter non requirit tantum calorem,
præsertim, quia congelatio, non tam ex frigidityte,
quam ex siccitate provenit: si ergo aqua cum non sit
minus humida, quam vinum, non corrumpitur pro-
pter illam siccitatem, cur dicitur corrumpi vinum?

Et ex hoc inferitur secundo, si vinum congelatum
ante consecrationem postea liqueat, illud posse esse
materiam consecrationis. Hoc censeo fere certum
vix patet ex dictis. Unde addunt auctores secunda sen-
tentia nullum esse peccatum, in huiusmodi vino con-
secrare, quod est valde probabile, quia reuera nullum
est dubium. Consilium tamen existimo non conse-
crare in illo, si fieri potest, vnde si contingat in missa
invenire congelatum vinum, ante consecrationem,
eriam post oblationem, optimum consilium erit mu-
tare, & iterum offerre, ac postea consecrare.

Unde tertio concludo, huiusmodi vinum conge-
latum esse sufficientem materiam. Probatur (præter
rationem factam inter referendam primam opinio-
nem) quia illud est vinum vitis, & consequenter per
se est materia potabilis: accidentarium enim est, quod
sub illa dispositione potari non possit: satis vero est,
quod ex se, & ab intrinseco, habet naturam & for-
mam potabilem, ad quam facile & ab intrinseco re-
digi possit, in quo multum differt a massa, quæ ex se
revera non est panis: proprie autem exemplum simi-
le est in paneis cocto, qui præ duritie comedi
non possit, nisi mollesceret aliquo modo, quia nihil-
ominus esset materia sufficiens consecrationis: quia
retinet panis substantiam & per se manducabilis est.
Et confirmatur, ex differentia inter hoc sacramentum,
& Baptismum, nam hoc non consistit actuali usu, sed
in materia consecrata, & ideo satis est, quod illa ma-
teria sit vinum, licet pro tunc non possit applicari,
donec liqueat: at vero Baptismus consistit in actuali
usu, & eius materia proxima est ablutio, ad quam
non potest applicari gelu, nisi aliquo modo liqueat,
& ideo donec in eam formam redigatur, in qua pos-
sit lavare, non potest ad conficiendum Baptismus
deseruire. Adde, vinum congelatum, quamvis
non omnino liqueat, si in minutiores partes redi-
gatur, posse aliquo modo potari, & reuera habere ef-
fectum potus, & vini. Nihilominus tamen non credo
libere huiusmodi materiam consecrare, propter
dubium. Est enim contraria sententia vtriusque pro-
babilis.

SECTIO II.

Verum necesse sit aquam vino consecrando miscere.

Qvæstio intelligi potest de necessitate sacramenti
& præcepti. Prima ergo sententia asseruit, mistio-
nem aquæ esse de necessitate sacramenti, ita vt si
merum vinum quis tentet consecrare, nihil efficiat,
ita refert Bernard. epist. 69. & opinatur Armachanus
lib. 9. de quaestionibus Armenorum, capit. 9. Funda-
mentum esse potest, quia illa materia, quam Christus
instituit, est de necessitate sacramenti, sed vinum a-
qua mistum, est necessarium ex Christi institutione:
ergo est de necessitate sacramenti. Minor probatur
primo, quia institutionem colligimus ex facto Chri-
sti. Inde enim supra inculimus panis & vini neces-
sitate ac institutionem, sed Christus confecit in vino
aqua misto, vt habet antiqua Ecclesiæ traditio. Iac-
obus in liturgia similiter (inquit) postquam cœna-
vit accipiens calicem & permiscens ex vino & aqua,
& c. similia verba habet Basil. in liturg. Clemens lib. 8.
Constitut. c. 12. alias 17. Irenæus lib. 4. c. 57. vbi tem-
peramentum calicis vocat, & lib. 5. c. 2. vocat, calicem

mistum. Theodoretus dialog. 1. circa medium. In my-
steriorum (inquit) traditione corpus panem appella-
uit & sanguinem id quod in calice infusum & com-
mistum erat, idem Damascen. lib. 4. c. 14. Hier. Marci.
14. Aug. de Trinit. c. 21. referens Cyprian. lib. 2. epist. 3.
alias epist. 63. cuius sane verba difficilia sunt: dicit e-
nim, contra diuinum mandatum & institutionem
fieri: si aqua vino non miscetur, & infra subdit, ita
non posse consecrari vinum solum, sicut neque aqua
sola, sed vtrumque mistum. Denique in can. 32. Trul-
lan. & Concil. Aurel. 4. c. 4. & Conc. Africanum, cap. 4. &
Con. Carthag. III. c. 24. præcipitur, vt in sacramentis
corporis & sanguinis Domini nihil amplius offeratur
quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est, panis
& vinum aqua mistum.

Secunda sententia extreme contraria negat, aqua
esse miscendam vino, atque adeo non solum non esse
necessarium, verum etiam neque conueniens, neque
fortasse licitum. Hunc errorem tribuunt Græcis gra-
ues auctores, Glossa ordin. 1. Corinth. 11. Innocent.
lib. 4. de hoc mysterio, capit. 22. Gabr. lect. 35. in ca-
non. Durand. distinct. 11. quæst. 5. Guid. Carmel. libr.
de heretib. Castro eodem libr. heres. 7. Præteol. ver-
bo, Græci. Soto dist. 9. quæst. 1. art. 6. & Alanus libr. 1.
de Euchar. c. 13. vbi refert ex Nicol. Gauafil. in expo-
sit. Liturg. aliquos Græcos solitos esse non ante, sed
post consecrationem aquam calidam vino miscere.
Ego vero apud illum in eo libr. capit. 8. lego, consue-
tudinem Græcorum esse, ante verba consecrationis
infundere in sacrum calicem vinum, & aquam, di-
cendo illa verba, Et statim exiit sanguis & aqua:
prout habentur in Liturgia Chrysofostomi. Aliam au-
tem consuetudinem de mitione aquæ calidæ refert
in cap. 37. tanquam ceremoniam quandam, quæ fieri
solebat in usu seu communicatione Eucharistiæ, ad
significandum Spiritus sancti effectum, qui per illam
datur: non ergo videtur Græci hanc mitionem om-
nino omisisse. Vnde Theoph. Græcus, Ioann. 19. circa finem
hunc errorem tribuit Armenis. Idem Niceph. libr. 1.
cap. 53. dicit, Armenos non miscere aquam, vt signifi-
cent, Christum vini tantum esse naturæ. At vero
Græcos illam miscere, propter duarum naturarum
significationem. Itaque non videtur dubium, quin
Græci aquam vino miscant, vt etiam ex dicta can-
32. Trullano, & Græcis Patribus allegatis, & statim
citandis: ac deniq; ex Concil. Florent. in decreto Eu-
genij certissimum est: corrigendi ergo sunt dicti au-
thores: proprium enim errorem Armenorum Græ-
cis simpliciter tribuerunt, vt bene hic Caietan. nota-
uit. Ad hunc vero errorem accessit Caluinus, solum
quia non est in Euangelio expressum, aquam vino
esse miscendam. Lutherus vero in formula missæ.
Nondum (inquit) mecum constitui miscenda ne sit
aqua vino vt refert Sander. libr. 7. Visib. Monarch.
anno 1549. Fundamentum esse potest, quia aqua non
est de necessitate sacramenti, cum materia autem sa-
cramenti nihil miscendum est, quod materia non sit,
& præsertim in hoc sacramento, vbi materia conuer-
titebet in sanguinem Christi.

Dicendum vero est primo, hanc mitionem non
esse ita de necessitate sacramenti, quin si aliquis ten-
tet consecrare in solo vino, vere conficiat, & conuer-
tatur illud in sanguinem Christi. Est certa & com-
munis conclusio D. Thomæ hic, & omnium Theo-
logorum cum Mag. distinctio. 11. Alens. quaestione 32.
membr. 5. artic. 2. & membr. 6. Innocent. libr. 4. capit.
34. & in eam inclinatur Bernard. supra. Et colligitur
primo ex Concil. Tridentin. tota sessio. 13. vbi agens
de hoc sacramento nihil profus de aquæ mitione
dixit: postea vero sessio. 22. agens de sacrificio solum
dixit Ecclesiæ, hanc mitionem præcepisse: indi-
cans eam non esse de necessitate sacramenti, sed esse
ritum quandam ad ceremoniam sacrificij Missæ. Fa-
uet etiam Concilium Florentinum, in quo primum
simpliciter dicitur, materiam esse panem, & vinum
de vite:

S. Theodor.
Damasc.
Hieron.
Cypri.

Synodus
Conc. Aurel.
Africanum.
Carthag.

Sensens.

Innocent.
Gabriel.
Durand.
Guido.
Castro.
Præteol.
Soto.
Alanus.
Nic. Caietan.
Sander.

Theoph.
Niceph.

Conc. Trid.

Sander.

Sine a
Possit a
quis, de
consecrat.

Magister.
Alens.
Innocent.
S. Bernar.
Conc. Trid.

Florent.